

La condesa doña Sancha hace testamento, donando al monasterio de Santa Cruz de la Serós las villas de Molinos, Las Casas y Collena.

AHN, Serós, carp. 785, nº. 14, copia siglo XII [B].

AHN, Serós, carp. 785, nº. 13, copia siglo XII, mal conservada [C].

Ed. GONZALEZ MIRANDA, La condesa, apénd. 3, p. 199-200.

[Crismón] In nomine Domini et salvatori nostri Ihesu Christi. Hoc est carta vel titulus et testamenti quam facio ego Sancia, filia regis Ranimiri et Ermesendis regine. Ob amorem omnipotentis Dei et animarum parentum meorum omnium et ob remisionem peccatorum meorum omnium, subscribo et trado omnia qui ex hereditatibus domibusque in hoc seculo mihi pietas Domini concessit adquirere sive ad possidendum. In primis de hoc quod habeo in Monte sono

domo ad Sancto Petro de Sirasia illam kamaram que aspicit contra horientem cum suo cellarario et illum ortum qui est in illa Sosa, et totum solarem qui est ante ille kamaram ut faciant ibi officinas vel quioquid voluerint.

Et aliam kamaram et cellarium tenentes cum illo muro habeant Sancta Maria et Sanctus Pontius cum illo alodio quod ibi habeo. Similiter dono illud triligare quod ibi facio inter Sanctam Mariam et Sanctum Pontium et Sanctum Petrum, ut habeat Sanctus Petrus medietatem et aliam medietatem Sancta Maria et Sanctus Pontius, et nulla sit discordia inter eos.

Simili modo casas et alode quas habeo in Monte Aragone et illas tres villas almotexanias de mauris quas dedit mihi frater meus rex Sancius cui sit beate requies, nomina earum sunt Molinus, Askasas et Conilgens. Omnia dono et dimitto ad monasterium Sancte Marie quod est situ in termino Sancte Crucis, ut sint ibi in servitio omnipotentis Dei et Sancte Marie, et reliquiarum que sunt in eodem loco et de abbatisa sororumque eius in sempiternum. Ob redemptionem animarum scilicet patris mei Ranimiri regis et matris mee Ermesendis regine ac karissimi fratris mei Sancti regis qui mihi eam per omnia caritative dedit, ut in omni vita mea habeam firmiterque teneam disponamque secundum meum posse ut sit in omnipotentis Dei servitio suorumque sanctorum omnium. Similiter habeo kastas in kastro quod dicitur Aierbe, ortos et hereditates ubi dicuntur illos Banios, omnia que ibi mea cognita sunt fiant beate Marie per secula cuncta. Item comparavi in castro quod dicitur Bel kastas que sunt iuxta casas domni Adefonsi nepoti mei. Ipsamque hereditatem quam dedit mihi iam predicatus frater meus Sancius rex in castro quod nominatur Luna mando et relinquo beate Marie et sororius eius in perpetuum. Iterum autem offero Deo beate Marie illam villam que dicitur Miranda quam dimisit mihi mea avia domna Sancia cum omnibus sibi pertinentibus ab integro. Iterum dimitto illas hereditates quas habeo in Arressella et in Banagosse ab integro Deo et eiusdem beate Marie. Precipio ut domnus Bernardus Bonetus qui michi in omnia vita sua bene fideliterque servivit, habeat et teneat illam villam supra dictam scilicet Mirandam sub manu beate Marie et abbatisse eiusdemque loci, et sicut per me habita fuit in vita mea, ita habeat per licentiam illarum abbatisse et sororibusque eius, et post suum discessum remaneat per omnia libera beate Marie ancillarumque eius. Ego Sancia, Ranimiri regis filia laudo et confirmo omnia que in hac carta sunt supra scripta ut sint in servicio omnipotentis

Dei et Sanctis quibus desuper statutum est absque ulla dubitatione ob salutem et remedium anime mee et patris mei ac matris mee, fratresque mei domni mei regis Sancii qui mihi fecit mercedem et dedit supra scriptos honores ut in omni vita mea fecissem voluntatem meam, et post meum discessum mississem sive relinquissem in servitio omnipotentis Dei suorunq[ue] fidelium in remissionem omnium peccatorum suorum, meorumq[ue] vel cunctorum parentum meorum.

Facta carta iste in mense octobrio, era M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. XXX<sup>a</sup>. III<sup>a</sup>., et precipio ego Sancia de omnibus rebus sive substanciis meis queque inventa fuerint post meum discessum sit in fabrica ecclesie Sancte Marie ob redemptionem peccatorum meorum atq[ue] cunctorum meorum parentum fidelium. Itemq[ue] ego Sancia omnia supra dicta confirmo atq[ue] manu mea propria hoc sig[no] num facio.

Et hanc supra scriptam donationem a nullo meo parente habui in solum modo a fratre meo domno Sancio rege qui non tantum fuit mihi frater set per omnia pater, sicut ille percepit mihi ita fideliter statui.

Rogo parentes et amicos meos ut statutum domni regis et mei a nullo permittant disrumpere vel violare. Siquis autem malo ingenio aut aliqua vi disrumpere vel violare temptaverit, sciat se omnibus modis excommunicatum et cum Datham et Abiron, quos terra propter nequitiam eorum vivos absorbit atq[ue] cum Iuda Scarioht et cum eis qui dixerunt Dominio Deo recede a nobis et cum omnibus sacrilegis inremediabiliter sub anathema maranata sine fine dampnatum.

Et ego Acenarius, clericus Sancte Crucis, qui hanc cartam scripsi, hoc signum [signo] feci.